





vol. V. 2





DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA,
 REFELLENS
 COMMVNEM ILLAM OBJE-
 CTIONEM:
**QVOD MEDICINA
 SIT ARS MERE CON-
 JECTVRALIS,**

QVAM
 ANNVENTE GRATIA DIVINA
 AVCTORITATE
 INCLYTI ORDINIS MEDICI
 PRO
 GRADV DOCTORIS
 SVMMISQVE IN ARTE SALVTARI PRIVILEGIIS
 ATQVE IMMVNITATIBVS
 RITE AC SOLEMNITER IMPETRANDIS,
 PVBLICO PHILIATRORVM EXAMINI SVBMITTIT
 AVCTOR
ABRAHAM JOHN,
 LIGNICIO-SILESIVS.

IN AVDITORIO MAJORI COLLEGII MAJORIS, HORIS CONSVETIS.
 DIE XIV. DECEMBRIS, A. M DCC XXXIX.

ERFORDIAE, Typis HERINGII, Acad. Typogr.

DISSERTATIO IN ACADEMIA MEDICA

REFERTUR

COMMUNEM ILLAM ORDE
CTIONEM:

QUOD MEDICINA
SIT ARS MERE CON-
JECTURALIS

GRAM

ANNVENTE GRATIA DIVINA

AUCTORITATE

INCLYTI ORDINIS MEDICI

PRO

GRADU DOCTORIS

IN ARTE SACRAMENTORUM

PUBLICO PHARMACORUM ET ALIIUM
MAGISTRUM

AUCTOR

ABRAHAM JOHANN

MAGISTRUM

IN ACADEMIA MEDICA
DIE XIV DECEMBERIS A MDCCLXXII

ERORDIUM, TYPE HERINGII, AUCTOR





PROOEMIUM.

REs sane admiratione digna est, quod ars Medica, mortalibus tam necessaria tamque salutaris ac proficua, hodiernum à quam plurimis hominum, non ex infimâ solum forte, verum etiam ex eruditorum numero, adeo vili pendatur, ac si inter reliquas humanarum disciplinarum species levissima & fere simplicissima sit, cum tamen omnes inter satis abunde constare dubium non sit, ipsam à Diis humano generi concessam ab antiquissimis temporibus creditam fuisse; quin imo antiquitatem Deos ipsos Medicinæ autores atque Præsides superstitione sibi finxisse, veterum historiarum satis abunde monstrent. Et quid dicam? nonne

A

Gen-

Gentes Ægyptiorum atque Græcorum ethnica Medicos suos Deorum in numerum retulerunt, templa iis exstruxerunt cultumque divinum exhibuerunt? Huc referenda sunt, quæ PLUTARCHVS recenset de *Iside, Osiride & Mercurio*, Diis pariter ac Medicis Ægyptiorum, & quæ PLINIVS refert *Lib. XXIX. Cap. I. de Apolline atque Æsculapio.*

Sed non opus esse existimo, ab istis temporibus fabulosis gloriam atque famam pro arte nostra, in se satis honorifica, repetere, cum laudem ipsi eandem eundemque honorem, quem aliis scientiarum generibus tribuere solemus, detrahere neminem posse, mihi persuadeo. Theologiam, Jurisprudentiam, Philosophiam, magno satis honore ab ipso etiam vulgo prosequi, res est notissima. Cur igitur, artem Medicam pretii vilioris esse, creditur? Theologiæ præ aliis scientiarum generibus præcellentiam, ob divinam ipsius autoritatem, ceteris disciplinis humanis longe præstantiorem lubentes concedimus. An vero Jurisprudentia & Philosophia arti Medicæ absolute præferendæ veniant, nondum satis intelligimus, præprimis,
cum

cum objectum, circa quod maxime versatur
Medicina, multo nobiliter reperiatur objectis,
tam Jurisprudentiæ, quam Philosophiæ.

Hæc autem dum scribere audeo, discipli-
nis illis in se pariter eximiis, & ad commodum
humanæ societatis multum omnino conferen-
tibus, justam detrahere laudem minime con-
tendo, sed saltem honorem non minus arti
meæ convenientem, hisce autem temporibus
ferè amissum, æquo modo vindicare laboro.
Et si nullum aliud pro confirmanda sententi-
meâ suppeteret argumentum, id unicum mihi
sufficere videretur, artem nostram omnino ma-
gni faciendam esse ratione objecti. Quis, quæ-
so! mortalium non per totum vitæ spatium in-
corruptam ac confirmatam exoptat sibi sanita-
tem? quis non vitam longævam, ac à morbis
liberam? & nihilominus hos inter ipsos inve-
niuntur multi, qui arti saluberrimæ adeo invi-
dent, ut contemptum suum nullo modo, ac ne
in ea denominanda quidem, occultare vale-
ant.

Sed haud immerito jam movetur quæstio:
Unde fiat, quod ars tam salutaris Medica disci-
plinis

plinis reliquis postponatur, imo momenti plane nullius existimetur. Causas omnes allegare si vellem, tempus deficeret. Non enim dicam de multis in Medicina imposturis, dum quilibet, cui opificium suum, ob nimios forte gravesque labores, aliasve causas, displicet, ad praxin medicam confugit, ac indoctam plebem variis fraudibus decipere contendit. Neque ipsorum Medicorum dissensum, quoad innumeras excogitatas hypotheses, pro causa adducam, neque multorum in re medica imperitiam invidiamve erga alios accusabo; sed unicam hanc rationem in praesentiarum afferam, falsissimum istud assertum quamplurimos, eruditorum etiam, animos praecipasse: Artem videlicet medicam in se certi nihil habere, eamque meris opinionibus & conjecturis inniti, unde factum, ut Medicos homicidas privilegiis donatos adpellare, & artem medicam ipsam, quamvis nobilissimam & summis merito laudibus evehendam, prorsus contemnere permulti haud dubitaverint.

At enim vero, in quantum haec obiectio vulgaris cum veritate conveniat, in Dissertatione
ne

ne hac inaugurali, pro ingenii modulo disquirere lubet. Deus autem Ter O. M. Fons & origo Medicinæ, proposito huic clementissime indulgeat, atque conatibus nostris gratiose benedicat, quo cuncta cedant in sui Nominis gloriam proximique emolumentum.

SECTIO PRIOR.

§. I.

Communem illam opinionem objectionemque, quod *Medicina sit mere conjecturalis*, refutare, dum in animum induxi, rem aggredior, quæ jam multis abhinc Seculis non solum inter vulgus, sed eruditos etiam, quin imo Medicos ipsos, anam præbuit variis disceptationibus & contentionibus, qui, cum artem saluberrimam pro *incerta* planeque *conjecturali* plenis buccis proclamare non erubescunt, laudem ipsi debitam turpi modo non detrahunt solum, sed etiam aliis disciplinis multò inferiorem declarant, interferentes causam: certis eam fundamentis ac legibus esse destitutam.

§. II.

Hoc vero exinde potissimum factum esse existimo, quod, artem Medicam primum à meris tentaminibus initia sumisse, inter eos constat. Etenim cum misera gens hominum lapsu tristissimo à Deo recessa, omnibus & animi & corporis calamitatibus obnoxia esset facta, variasque læsiones corporis, motuumque naturalium alterationes, ob labores in se suscipiendos, experiri cogeretur, eò cura pro vita sanitateque conservanda deduxit ipsos, ut appropriatis ac

convenientibus remediis læsæ sanitati subvenirent, corpusque in pristinum restituerent statum. Qui quidem conatus, cum ipsis nondum cognita essent remedia probata, neque vis herbarum intrinseca experimentis chymicis explorata, mera omnino erant tentamina, quare risui me exponerem, si *certitudinem medicam* ad illa usque tempora restringere vellem. Hinc antediluviano tempore, ad HIPPOCRATIS usque ætatem, tota Medicina fuit *empirica*, & prælaudatus ille HIPPOCRATES primus, qui *rationem* in hæc arte sanandi simul in subsidium vocandam esse putavit. Non vero contentus erat meris ac nudis ratiociniis, veluti Philosophi, tunc temporis omnia confundere soliti, artem etiam Medicam pure philosophice tractare studebant, eamque idcirco pro parte Philosophiæ venditabant; sed ille potius eam iterum à Philosophia separavit, ac se totum observando naturæ genio tradidit, *rationemque cum experientiâ* junxit. Quod si igitur ipsi patiens offerretur, non acquievit in simplici & sola morbi cognitione & denominatione, nec empirice, more majorum, adhibuit medicamina, quæ tali morbo opponere consueverant; sed inquirebat in præsentis objecti naturam, examinabat ejus corporis & animi constitutionem, ætatem, vitæ genus, indagabat porro in causas morbi, tum primarias, tum secundarias & occasionales, & sic sedula observatione, rerumque & causarum rationali connexionem, non incertis fuit in re medica pariter, ac arte curandi, sed suo jam jam tempore magnam nactus in ea *certitudinem*, quam posteritati, Scriptis suis, summa laude ac lectione dignis, sincere communicavit, non equidem hunc in finem, ut solâ illius experientiâ & observatione acquiesceremus, sed ut
magis

magis magisque in illa conamina, non satis dilaudanda, sedulo incumberemus, ac artis sanandi naclâ *certitudine*, illud offendiculum plenarie remove allaborarem, quod sit ars mere conjecturalis Medicina. Optandum sane nunc esset, ut seculorum subsequen- tium Medici presso pede conatus maxime venerandi nostri Senis ac Medicorum Principis secuti fuissent, quanta enim nunc *certitudine medica* gaudere possemus? Sed dolendum, ipsos progressu temporis quam longissime à veritatis viâ deflexisse, ac, dum sese meris opinionibus nudisque speculationibus traderent, & infeliciter iterum de medicina philosophari inciperent, non artis certitudinem confirmasse, sed potius amisisse. Interim tamen multi recentioribus nostris temporibus inveniuntur Medici, qui pro restauranda & confirmanda *certitudine medica* omnem impendunt operam, & à multis jam jam annis magnos in hisce conatibus fecerunt progressus, ita ut hodiernum non amplius de incertitudine medica multum conquerendi rationem habeamus. Sed ut propius ad scopum me accingam & objectionem nostram exactius perlustrem, animus est allegandi prius rationes adversariorum dubitandi, & subjungendi illarum refutationes.

§. III.

Priusquam vero illas in medium profero, præmonendum mihi necesse videtur, quid per *certitudinem medicam* intellectum velim, nimirum non mathematicam, à priori saltem secundum certas regulas acquisitam, sed experientiae rationalis beneficio maxime prognatam. Per *certitudinem* enim *mathematicam* intelligo, ubi quis à primo suo principio, quod pro fundamento sibi posuit, à priori ad ultimum usque termi-

terminum concludendo progreditur, & sic rei, quam sectatur, certitudinem adipiscitur: *Medicam* vero certitudinem illam voco, quam *experientiâ* potissimum, & sic *â posteriori* consequimur. Hinc illæ occupationes mere sunt speculativæ; hæ vero activæ. Illud parit scientiam, hoc eandem confirmat & illustrat. Absonum fortasse alicui videbitur, scientiam rei me postponere experientiæ; sed respondeo: Longe aliter comparatum esse cum studio medico, ac cum aliis studiorum generibus. Scire enim Medici nihil est, nisi id, quod se scire jactat, etiam expertus sit. Hinc Medicus quidem necessario scientiam sibi comparare debet, sed illa semper ab experientiâ est desumenda. Sic scire Medicum oportet, Phthisi pulmonum lobos depasci, sed unde sciret, nisi experientiâ, nisi arte anatomicâ Medicorum alicui id esset detectum? Et sic certitudinem habere possumus, quamvis illa non semper *â priori* depromta sit. Præmonendum porro existimo, quod illa certitudo non sit *universalis*, sed *specialis*: Experientiâ enim, tanquam certitudinis medicæ fundamentum, non ad omnes casus morbosque pari ratione applicari potest, sed peculiari modo ad singulos morbos in specie. At, audiamus nunc contra hanc veritatem rationes dubitandi, quas continebit

SECTIO POSTERIOR.

§. I.

Ratio dubitandi prima. **S**equuntur nunc *rationes dubitandi* frequentiores cum *refutationibus necessariis*. Inter istas primatum tenere videtur, cum perhibent: Medicinam omnino esse incertam & mere conjecturalem, dum *certa* non haberet *fundamenta*.
Reliqua

Reliqua, dicunt, studiorum genera si perspiciamus, firmissima habent fundamenta ac leges, quibus innituntur. Theologia nimirum pro fundamento infallibili agnoscit Scripturam sacram, seu revelationem. Jurisprudentia leges & constitutiones Superioris. Philosophia principia rationis; solam artem, inquirunt, Medicam omnibus plane fundamentis esse destitutam.

Ad hæc respondeo: Theologiæ, ratione fundamenti, ars *Refutatio ejusdem.*
Medica, libenter præcellentiam concedit; sed cum aliis disciplinis eam incedere pari passu, probare audeo. Principia namque habet, quibus confidere potest, similiter certa, ut aliæ disciplinæ, *rationem* scilicet & *experientiam*. Jurisprudentia aliis haud innititur, nisi iisdem, ratione nimirum & experientia. Omnes enim leges, ex quibus deinde gravis ille Codex, *Corpus Juris* quem vocant, conflatus est, à ratione hominum & rerum observantia derivandæ sunt. Hæc sola intercedit differentia, quod leges Jctorum & observationes, ex quibus leges constitutas habent, qualibet ad minimum in regione, sint uniformes; observationes autem nostræ multiformes, & non ad quodlibet objectum indistincte, sed ad cujuslibet subjecti peculiarem corporis constitutionem specialiter adplicandæ. Quibus tandem ars philosophica fundamentis aliis innititur, quam iisdem, ratione videlicet & experientia? Quares, quid per *rationem* intelligam? Dico, illam, quam omnes possident sanâ ratione præditi homines, quæ quidem prosecutione studiorum exculta est. Iterum autem haud immerito distinguo *rationem philosophicam* inter & *medicam*. Nam *ratio philosophica* habitus est bene cogitandi, industriâ acquisitus; *medica* vero rationali modo

modo causas, earumque effectus inter se connectit & veritates ex comparatione multarum experientiarum depro-
mit. Exinde facile innotescit, non quamlibet rationem, i.
e. artem bene cogitandi, *rationem esse medicam*. Per *expe-*
rientiam vero non intelligimus quodlibet *experimentum*, sed
multiplicem, diuturnam, saepius repetitam, & circumspe-
ctam observationem practicam, de morborum, causarum,
& symptomatum, quin etiam medicamentorum operatio-
ne, progressu, eventu. Ex quibus itidem liquet, magnam
intercedere differentiam inter *experimentum* & *experientiam*.
Experimentum enim est, si quis in re quadam semel vel ali-
quoties hunc vel illum expertus est effectum, quod igitur,
si quis pro experientia venditat, exoritur inde empiria; e.
g. Rusticus quadratus laborat febre tertiana, quoniam in
bachanalibus nimium ciborum ingessit. Conqueritur de
frigore concussorio ac de anxietate praecordiali, simul ac
nauseabundis conatibus. Subsequitur ipse vomitus, quem
vehemens aestus excipit. Convenit eum vicinus, meminit,
proavum suum aliquando quoque eodem febris genere de-
cubuisse, eamque usu piperis, cum vino adusto adsumti, de-
bellasse. Offert magnum ejus cyathum, vel piperaceum,
vel succo ex bombardis extracto adimpletum, exhaurit, &
reconvalescit. Nunc gloriantur de febris debellandae reme-
dio, illudque pro summo recondunt arcano, quod nulli, nisi
intimis amicis suis communicare secum constituunt. Ac-
cidit tandem, ut ipsius domini compatris filius ex urbe vi-
cina in eandem incideret febre, gaudent de occasione na-
cta, suum adhibendi remedium expertum. Offerunt eun-
dem Julepum, febris intermitteris mutatur in acutam, &
ager

æger moritur. Mirantur experientiam fefellisse, cum tamen nudum fuerit experimentum, ac eorum curatio crassa saltem empiria. Cum experientia vero longe aliter est comparatum. Hæc enim multis ab annis jam innumeris exemplis, modo semper eodem, eodemque eventu, confirmata esse debet. Talis igitur experientia cum ratione conjuncta numne mihi in re medica certitudinem suppeditare potest? ratione namque medica instructus indagat morbi causas, earumque effectum; observat symptomata, progressum & causarum connexionem; format experientiâ deductus prognosin, vel boni, vel mali eventus, subministrat remedia, & ubique certus esse potest. Falsus itaque conceptus est, ac si tum Medicus, præcipue juvenis, experientiam acquirere sibi deberet, dum ipse praxi exercere incipit. Hinc quoque notissima illa Medicorum calumnia duxit ortum, quod quilibet novus Medicus, novum requirat cameterium, miseram ergo ægrorum esse conditionem, qui manibus eorum traderentur. De Empiricis quidem id verum esse posset; de Medicis judiciosiis nunquam. Experientiâ satis comprobari poterit, juvenem Medicum sæpius superasse empiricum quemcunque veteranum. Experientia, ab excellentissimis jamjam ante nos viris confirmata, nobis à præceptoribus nostris traditur, quam deinde propria praxi clinica convenienti modo adplicare, ac novis observationibus, ubique adhibitâ ratione, magis magisque confirmare solemus.

§. II.

Perhibent adversarii ulterius, dari tam multas, imo innumeras morborum causas plane absconditas, Medicum vero nunquam *Secunda ratio dubitan-*
exacte di



exacte ea, quæ intra corpus sunt, perspicere non posse, adeoque nunquam certum esse in morborum dijudicatione, sed facile aliam accursare causam, quam revera adestet.

*Refutatio
eiusdem.*

Respondeo : Causas quidem morborum quam plurimas esse absconditas, nemo negabit, quoniam viscera illa, quæ à morbis infestantur, plerumque occulta sunt. Interim tamen hodiernum nullæ tam absconditæ sunt morborum causæ, quæ non tandem perfectius dignosci queant. Supra allegatis enim semper innitimur fundamentis, quare rationem si adhibeamus, à priori satis innotescit nobis, qualis esse debeat homo, si adhuc in statu naturali constitutus est; qualis sanguinis circulus, quales excretiones & secretiones, quomodo actiones naturales & non-naturales succedere debeant. Has igitur si aliter observamus in homine, quam quidem secundum naturæ leges esse deberent, ad statum præternaturalem iusta nos manuducit consequentia. Inquirimus nunc in causam veram hunc statum producentem, statim manus auxiliantes porrigit experientia. Per hanc, tanquam à posteriori, cognoscimus, quod in hoc vel illo subjecto eandem circumstantiæ occurrant, eademque signa & symptomata. Combinamus symptomatum ac circumstantiarum, quæ pro cujuslibet corporis constitutione in subjectis, eodem cum aliis morbo laborantibus, variare solent, qualitates & progressus in ægro præsentem, observamus porro naturæ actiones & conamina, sicque veram cujuslibet morbi causam, licet occultissimam, solide & accurate tandem dignoscere valemus. Hâc ratione iterum quam maxime sese distinguit Medicina rationalis ab Empiria: Hac enim iis, quæ ante oculos posita sunt, contenta esse solet; illa vero inquirat

inquirat in res occultas. e. g. Conveniebat me nuper civis quidam, conquerens de appetitu depravato & lassitudine aliquali artuum, quam ab appetitus depravatione derivabat. Postulabat hinc, ut pro stomacho roborando & appetitu excitando aliquid darem, se enim ceteroquin esse sanum. Adspiciens eundem observavi colorem pallidam, faciem tumidam, oculos turbidos, quasi ex eo, num morbo quodam laborasset? respondit: Se nullo quidem morbo laborasse, sed per tres hebdomades Dysenteriam fuisse adfictum; Ulterius inquirebam in signa Dysenteriam, & inveniebam, eum minime hoc morbo, sed hæmorrhoidum fluxu nimio laborasse, quem variis domesticis remediis suppresserat, & jam statum cachecticum sibi contraxerat; hinc longe aliam ipsi curam commendavi, quam à me postulaverat, quaque sine ventriculi roboratione bono cum Deo in integrum est restitutus. Alius Colica hæmorrhoidali cum nephritide juncta gravissime laborabat, ac ob spasmodum vehementiam, quæ simul nervos ventriculi in consensum trahebant, nauseolos sentiebat conatus. Putans ergo saburram latere biliosam in ventriculo, requirebat à me emeticum, quod, rerum circumstantias accuratius explorans, ipsi denegavi. Murmurans discedit, ab alio emeticum accipit; spasmi hinc occupant pulmones & æger post aliquot dierum intervallum præmaturam subit mortem. Ex hisce luculenter apparet, causas non semper esse adeo occultas, quin à Medico rationali detegi possint, quamvis in ipsum vivum corpus introspicere haud queat

§. III.

Porro etiam objici solet: *Morborum sæpius occurrentiam Tertia dubi-
causas tandi ratio.*

causas quidem ab experientia dignosci posse; sed occurrere nostris temporibus ferme quotidie novos ac plane incognitos morbos, quorum cause nec experientia, nec anatomicâ arte unquam detectæ sunt; hinc ad minimum harum intuitu Medicum esse incertum.

Refutatio. Respondeo autem: Verum est quidem, quod magna sapius hodie, si non æque in doctrina medica, in praxi tamen clinica, novorum morborum deprehendatur multitudo, præprimis, si tres vel plures Medici diverso tempore ad lectum morbo decumbentis, ubi varias accidentium anomalias à causis occasionalibus dependentes, animadvertunt. Ibi plerumque diversum in morbi denominatione auditur iudicium, & multa exogitantur novorum morborum genera, cum tamen idem morbus cum suis essentialibus signis in omnibus Practicorum libris sufficienter delineatus sit, ac eandem cum plerisque morbis novis habeat rationem. Dependent enim merè obscuritates istæ ab imperitia medentium, & consistunt in variatione circumstantiarum ac anomaliis symptomatum accidentalium; quæ iterum vel proveniunt à perverso patientis regimine, vel a perversa medicatione, vel à climatis qualitate, vel ab aliis causis externis. Facile hinc fieri potest, ut talis morbus, quem corruptum vocamus, primo intuitu pro alio plane habeatur, imo revera etiam alius sit. Sed si iterum ejus indolem, symptomatum ac aliarum circumstantiarum connexionem pariter, ac conamina naturæ rite perspicimus causasque sedulo disquirimus, morbus ille incognitus facile poterit cognosci, & ejus curatio vera certitudine institui. e. g. Grassatur in regione quadam aliqua febrium species, tempore præprimis autumnali. Incipit horrore, tensionibus in dorso, puncturis

ris

ris sub costis spuris, præcordiorum summa anxietate. Frigoris paroxysmum perpeffi, ut plurimum evomunt repetitis vicibus bilis saburram, dolores capitis sunt intensissimi, æstus subsequitur ardens, qui per complures sæpius durat horas. Appetitus evanescit, somnus est inquietus, in primis paroxysmis nullus, urina est rutila, supernatante lymphæ lactea, vitro adhærescente, sedimentum deponit post aliquot paroxysmos mucidum, ruffum, in nonnullis albicans, ac in multis genium febris catharrhalis repræsentat; subsequente die immunes manent à paroxysmo, interim tamen, præsertim ab initio, in lecto se continere coguntur. Tertio die recurrit paroxysmus, vel eodem tempore, vel anticipando, vel postponendo. Si quis igitur pro nova februm specie hanc declararet, nonne suam in experientia medica imperitiam satis proderet? Ratione indolis est febris tertiana, id quod signa ejus essentialia, frigus, æstus, & paroxysmorum tertio semper die exacerbatio, satis ostendunt. Accidentalibus autem symptomata longe aliam monstrant speciem, quæ haud sine fundamento à climatis ratione & singulari victu facile derivari possent.

S. IV.

Autumant ulterius adversarii, nihil certi, nihil in Medicina veri contineri, cum tot diversorum temporum Sectas, tot bitandi *Quarta du- Auctorum opiniones, hypotheses, sententias ac dissensus in mentem, 210. rævocarent, ipsi nescientes, cui sententia accedendum sit.*

Ad hæc respondeo: Aliter utique evenire non potuit, *Refutatio,* quam ut opinionum orirentur myriades apud antiquos, præprimis Græcos, Romanos, Arabes, aliasque Gentes. Desistuti enim erant subsidiis, artem medicam clarius illustrantibus.

tibus. Progrediendum ipsis erat in cimmeriis tenebris, reptandumque sub multarum ignorantiarum nebulis. Hinc inviti per insomnia quasi multa sibi fingere, & obscurare magis, quam illustrare artem coacti fuerunt; quo majora vero progressu temporis incrementa cepit Medicina, eo magis quoque ab ejusmodi sordibus & quisquiliis repurgata fuit, ita ut in luce nunc splendida, velut reliqua Disciplinarum genera, superbe fulgeat. Proinde etiam cum dictis Sectis aliter prorsus jam comparatum est, quam illis temporibus antiquis. Hodienum enim, qui Sectam aliquam profitentur, certam tamen habent in suo genere theoriam, adeoque aliquam *certitudinem*; nulla enim hodie reperitur theoria sine certitudine, vel à priori, vel à posteriori petita. Quo magis igitur quis in theoria fundatus est, eo majorem possidet in re medica certitudinem. Nam theoria hodierna semper profundamentis habet rationem & experientiam, demonstrat vero eandem ipsam vel ex legibus mechanicis, vel naturæ, vel ex alia causa, semper tamen *certitudine* haud defuturi erunt *practica*, quoad cognitionem morborum, & causarum dijudicationem. Sententiæ autem hypotheses præcipue theoreticæ modernorum Medicorum ad triplicem potissimum classem redigi possunt: Alii Naturam, seu Animam, pro motore corporis, causaque efficiente omnium motuum & actionum, tam moralium, quam vitalium, agnoscunt, & abinde omnium morborum ac symptomatum ætiologiam percunt. Alii, quibus impossibile videtur, Animam hominis commercium habere posse cum materiali corpore, aliquod intermedium produxerunt, *Spiritus* nimirum, seu *liquidum nervæam*, prout nonnullis appellare magis placet, & median-

te

te hoc intermedio animam facilius actiones in corpore naturales atque vitales producere posse sibi persuadent. Alii tandem corpus humanum saltem tanquam machinam artificiosissimam considerant, in eaque omnes actiones, & motibus solitarie dependentes, ex mechanica necessitate provenire affirmant. Ex his diversis opinionibus variae omnino in theoria oriuntur dissensiones & contradictiones. Quid autem interest, si *certitudo* in dignoscendo morbo, ejusque curatione à quovis eorum obtinetur. Egrotantis interest, ut curetur; nihil autem curat, an medicus mechanice morbum, an alia quacunque ratione theoretice explicet. Fingas tibi e. g. aliquem spasticis adhaerentem esse doloribus: Advocantur variarum opinionum Medici; alius causam deducit à particulis heterogeneis acuminatis, seu stimulantibus, alius à spirituum inordinato influxu; alius à sanguinis motibus congestoriis & eluctatoriis. Adhaerentem autem dum succurrunt, quilibet pro opinione sua, ac theoretica cognitione, suppeditat medicamina, quae, si examinaveris, ad unum finem sunt directa. Alius enim talia exhibet pro obtundenda & corrigenda acrimonia; alter eadem, licet non quoad substantiam, tamen similis effectus, pro spiritibus in ordinem redigendis; alius tandem pro demulcendo rigore partium; & ubique finis, nimirum sanitas, obtinetur. Quo vero magis quis à *certitudine practica* aberrat, eo magis incertus deprehenditur in principiis suis theoreticis. Quare tali modo culpa non in arte, sed in ipso artem exercente & à veritatis via multum aberrante, quarendae est.

§. V.

Porro objiciunt: *Medicum specificam remedium in corpore humano nescire operationem, atque exinde sequi, cum in arte non dubitandi. Quinta rare sua esse incertum.*

Respondere hinc mihi licebit cum SOCRATE: *Quantum Refutatio. est, quod nescimus!* ignorantiam enim suam certis in rebus profiteri, nemini ducitur turpitudini. *Nicodemus Joh. 3.* cum intelligere non posset regenerationis actum, à Christo salutarem audit illam admonitionem: *Ne mireris, Nicodeme, te ratione*

tionem hunc actum percipere non posse: dantur naturalia, quæ tanquam arcana mirari te oportet, ventum audis, inquit, sed nescis, unde veniat, & quorsum tendat. Quemlibet hominem, etiam indoctum, scire credimus; quod vivat; sanguinis circulus, quod in ipso progrediatur; impuritates, quod se- & excernantur; cibi & iugesta quod resolvantur; partes quod nutriantur; parum tamen sollicitus est de modo fiendi & Natura operante. Sic quoque Medicus certa habet remedia, quibus morbis occurrentibus mederi potest, certior factus experientia, quod hunc vel illum effectum præstent, licet modum in corpore humano operandi non semper exacte sciat, ne dicam, quod plurimorum remediorum operandi modum satis perspectum habeat. Inter omnes enim medicinam profitentes apparet, salia digestiva operari incidendo & abstergendo, purgantia stimulando intestinorum tunicam nervosam; emetica vellicando & irritando tunicam nervosam ventriculi; temperantia rigorem partium blande demulcendo; absorbentia materiam acrem obtundendo, & quæ sunt reliqua. Licet quidem hæc cognitio tantum generalis sit, non tamen deest multorum remediorum specificæ operationis scientia.

§. VI.

Ratio sexta dubitandi.

Sequitur tandem alia adhuc objectio, qua incertudinem artis nostræ exinde quoque demonstrare allaborant, quod medicamina, pro obtinendo hoc vel illo scopo exhibita, plane contrarium sapienter edant effectum.

Resutatio.

Ad hæc libenter quidem concedo, dari ejusmodi casus, ubi medicamina, quæ e. g. pro scopo laxante exhibita sunt, diaphoreticum exserunt effectum, aut, quæ pro scopo diaphoretico oblata sunt, alvum stimulant; sicuti ipse in propria praxi aliquoties jam expertus sum, dum alicui, ad impuritates biliosas removendas, Rhabarbari pulverem in substantia ad ℥j. exhibui, qui loco catharticæ excretionis copiosissimo sudore perfusus est, licet alio tempore idem subjectum à dimidia hujus pulveris portione, cui ℥℥. de purati adjeceram, sedes octo habuerit. Sic quoque alii, febre intermittente decumbenti

benti, præscripsi Essentiam alexipharmacam Stahlii, quæ quoties sumebatur, alvum stimulabat, ac si efficacissimum ipsi laxans oblatum fuisset, ita ut eam seponere cogeret, cum tamen longe alia ejus virtus experientiâ satis confirmata sit. Dependet autem ejusmodi effectus planè contrarius ab idiosyncrasia Naturæ, & ejus peculiari activitate, adeoque magis ad arcana Naturæ referendus est, quam ut certam de eo rationem adducere possemus. Interim unicum illud phænomenon, a medicis nondum satis perspectum, artis certitudinem non tollit; exempla enim respectu eorum, de quibus certi sumus, non sunt frequentia, sed rara, & nullum studiorum genus adeo perfectum deprædicari potest, in quo non plura adhuc latent arcana; sed neminem hanc ob rationem iis certitudinem denegare audio. Cur itaque sola medica ars similibus imputationibus contaminari debet? Tales enim casus specialissimi evertere non valent experientiæ, innumeris aliis casibus confirmatæ, fundamentum. At, ne forsitan pro infelicibus ejusmodi homines intempestive declarentur, qui talem in se experiuntur Naturæ idiosyncrasiam, scito, nos plura habere remedia, ejusdem efficaciam, & non omnia, quæ eundem præstant, effectum, pariter contrario modo solent operari. Sit, ut aliquem remedium diaphoreticum purget, seponi tunc & aliud in ejus locum eligi potest, sine ullo ægrotantis detrimento. Taceo, quod ille effectus, qui nobis videtur contrarius, studio à Natura sæpe suscipiatur, ut finis exinde eveniat salutaris. Hoc phænomenon tandem argumentum nobis suppeditat, pro firmanda illâ hypothesis, quod medicamentorum modus operandi non à nuda dispositione mechanica, sed potissimum à Natura dependat.

§. VII.

Dari tandem perhibent tam multos incurabiles morbos, quos *Rarè dubi-*
non haberemus, si certitudo in arte medica esset. *tandi septi-*

Quam absõna autem hæc objectio sit, quilibet, medio- *ma.*
eri tantum ratione præditus, facile perspiciet. Par esset ratio, si dicerem: Philosophia moralis suppeditat media tem- *Refutatio.*

peranter vivendi, & tamen inveniuntur tam multi heluones & imtemperantes homines; ergo nulla certitudo; aut si dicerem: Theologia præscribit regulas pie vivendi, & tamen quam plurimi homines impie vivunt; ergo nulla sacrae Scripturae ineff certitudo. Quæ, qualis, quanta! Culpa non est in arte, sed aliæ sunt circumstantiæ, quæ sæpius impediunt, quo minus morbi tollantur, neque in Medico est, semper relevetur ut æger, cum ille non sit omnipotens. Omnes humanae scientiæ certis limitibus circumscriptæ sunt, ergo etiam medicina. Hinc Paulus Apostolus optime scribit hac de re: *Scire nostrum particulare est.* Si omnes curari possent morbi, nemo esset moriturus, contra Dei statutum, qui cuilibet hominum metam præfixit, quam transcendere nequit. Deinde etiam notandum, dari morbos plane incurabiles, quando nimirum vitæ interna nobiliora adeo læsa sunt, ut in hominum potestate non amplius consistat, iis mederi, quale quid contingere solet in Phthisi & hectica consummata, ac in vulneribus absolute lethalibus. Ut plurimum vero morborum pertinaciam à causis accidentalibus dependere satis abunde edocemur. Vel enim medicus non rite agnoscit morbum, aut ejus curationem negligenter tractat, aut, quod sæpissime fieri solet, ipse ægrotus, ob perversum vitæ genus, medicamentorum virtutem infringit, & ita morbum sibi ex propria culpa incurabilem reddit. Quæ vero omnia artis certitudini nihil detrudere possunt. Petrus adfectu arthritico & asthma spastico ex suppressione hæmorrhoidum decumbens, frustra conqueritur de artis medicæ incertitudine, dum Medicorum ipsi assistentium salutaria contemnit consilia, iræ aliisque mentis alterationibus singulis fere horis totum se tradit; omnia, quæ ipsi offeruntur, & ad quæ adpetitus perversa cupido eum impellit, copiose ingerit, mox hunc, mox illum Medicum consulit, medicamina ab ipsis exhibita, licet optima, non præscripto tempore a proportionata dosi adsumit, & sæpius adhuc sibi ipsi consulere intendit. Quid Medicinæ, quid Medico imputandum, quod iste doloribus magis magisque affligatur, & morbus pertinaciter incurabilis existat?

Cul.

Culpam enim in ipso patiente, ejusque perverso vitæ genere latere, quis non videt?

§. VIII.

Sed sufficit, hæc pauca de adversariorum objectionibus contra *certitudinem artis medicæ* adduxisse. Quemlibet exinde facile perspecturum esse confido, quamplurimas earum ex falsa impressione ac præconceptis mere opinionibus suam ducere originem, nullisque certis inniti fundamentis; siquidem eadem medicina gaudet certitudine, ac aliæ humanarum scientiarum species. Sed id unicum adhuc monendum esse duco, longe aliud esse, si de arte loquamur, & si de Medico, qui eam exercet, sermo nobis est. Quis enim negaret, multos esse inter eos, qui medicinæ operam dant, quibus profundissimæ hujus scientiæ curta est suppellex, & qui in tempore & modo vix summa labia imbuerint. De his quidem verum est, quod multa sibi fingant, paucissima autem vere sciant, quæ tamen optime scire possent atque deberent. Et tunc sane culpa non est in arte, sed in artifice. Deinde quoque negandum non est, dari ejusmodi casus, ubi Medicus necessario hariolari & conjecturare cogitur, si e. g. ægrotus ex intempestivo pudore rerum circumstantias non ita recenset, uti necessitas postulat, sed multa omittit necessaria, alia autem plane ad scopum non facientia refert. Quale ergo tunc superest medium, præter conjecturas prudentes & judiciosas? his enim, si ubique ratio sana conjuncta est, ad rei tandem veram certitudinem manu quasi ducimur, ut deinde non opus sit amplius conjecturis, sed iudicium certum formari queat; e. g. Si scemella consilium petit profanitate restituenda, & qualia, quoniam laboret morbo, se nescire respondet, difficilem sentire respirationem, artuum gravitatem, magnam sæpius pectoris compressionem, & capitis vertiginem, ceteroquin se esse sanam, appetitum esse largum, somnum profundum, &c. quis tunc mihi vitio vertet, si conjiçiam, forsitan eam suppressis laborare mensibus. Quæro hinc ex illâ, respondet, rem se ita habere. Jam certus sum de causâ morbi primaria. Inquirere nunc decet

debet in causas occasionales, quæ multiplices esse possunt; conijcere iterum licet; nihil interest, si in eo conjectura me fallat, quoniam ipsa nescit, unde suppressio originem ducat, causa enim primaria, à qua omnes supra recensiti affectus dependent, satis mihi cognita est, quam, si removero, malum feliciter cessat, licet adhuc dum non absolute certus sim de causa occasionali. Et sic in variis morborum generibus conijcere licet, ejusmodi autem conjecturæ cum ratione medica & experientia arctissime combinatæ sunt, ac itaque potius *conclusiones*, quam conjecturæ merito adpellandæ sunt; siquidem certam habent pro fundamento veritatem, experientiâ satis confirmatam, à quâ concludendo ad aliam progrediuntur, usque dum certitudinem morbi præsentis consecuti sunt. Et hoc omnino vili haud est pendendum, sed tanquam res altioris indaginis exactissime observandum. Requiritur vero ad hoc obtinendum solida artis Medicæ theoria, sedula librorum practitorum, ac præprimis observationum lectio, attenta occurrentium in morbis symptomatum, ac circumstantiarum singularium observatio & comparatio, judiciosa meditatio, & quod præcipuum est, submissa ac devota precatio. Requiritur animus sobrius, temperans, pius, non temeritate, sed medica certitudine, Deoque, illam benedictione sua magis confirmante, confidens. Sic cuilibet in Praxi clinica Sanitas erit sapientissime certissimus & jucundissimus

F I N I S.

OO A 6318

ULB Halle 3
002 933 500



SB

VD
18

Reho ✓ V D 17





Farbkarte #13

B.I.G.

NAVGVRALIS MEDICA,
 FELLENS
 M ILLAM OBJE-
 IONEM:
 MEDICINA
 MERE CON-
 TVRALIS,

QVAM
 E GRATIA DIVINA
 CTORITATE
 ORDINIS MEDICI
 PRO
 Y DOCTORIS
 TE SALVTARI PRIVILEGIIS
 IMMVNITATIBVS
 LEMNITER IMPETRANDIS,
 RORVM EXAMINI SVBMITTIT
 VCTOR
 I A M J O H N,
 GNICIO-SILESIVS.

COLLEGII MAJORIS, HORIS CONSVETIS.
 CEMBRIS, A. M DCC XXXIX.

ypis HERINGII, Acad. Typogr.

